

sita a presbyteris Gallicanis sibi proposita, die 26 julii 1794, respondens, facultatem eis concessit Missam sub dio vel in quolibet loco, supra altaria portatilia, sine ministro celebrandi, et altaria portatilia consecrandi *cum oleis tamen ab episcopo benedictis*. Conditionem reliquiarum non apposuit: eo ipso ab illa dispensasse censetur. Hinc factum est quod multa existant altaria portatilia in ecclesiis locata in quibus nullum invenitur reliquiarum vestigium. Nunc prorsus irregularia videntur.

12° Primis temporibus, testimoniiis S. Ignatii, S. Irenæi, S. Cypriani, Tertul., Eusebii, etc., constat unicum fuisse altare in unaquaque ecclesia, ad unitatem Christi, Ecclesiæ et sacerdotii perfectius significandam: Græci huc usque unum tantum habent altare in ecclesiis; sed in circuitu ecclesiæ, exterius, juxta *Grancolas*, plura sunt, et olim apud Latinos plura erant oratoria in quibus privata dicebantur Missæ. Imo, in nonnullis ecclesiis, per exceptionem, plura erant altaria: *Arrenghi et Boldetti* id concludunt ex eo quod in eadem ecclesia plura erant martyrum corpora, quia super unumquodque erigebatur altare. In basilica Vaticana plura erant altaria. Constantinus tria curavit erigenda in ecclesia S. Sepulcri. S. Greg. Magnus, Epist. l. 6, epist. 59, agit de decem et tribus altaribus in eadem ecclesia dedicandis, et ex eo tempore valde multiplicata sunt. Non prohibetur ne plura sint altaria fixa in eadem ecclesia: imo in Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 5, legitur: « Noveris quod plura in ecclesia una » altaria... poteris simul consecrare. » Non ibi agitur de altaribus portatilibus quæ communiter in ecclesia non consecrantur. Ergo.

13° S. Rit. Cong. respondit, die 3 augusti 1697, antiqua tantum altaria sanctis Veteris Testamenti dicata esse permissa. Ex eo igitur tempore non licuit istiusmodi dedicare altaria.

§ II. — De altarum exsecratione et pollutione.

Pluribus modis exsecrantur altaria, ita ut nova consecratione indigeant, videlicet:

1° Si tabula altaris fixi, id est, lapis superpositus, cui adhibita fuit episcopalis consecratio, enormiter contracta vel imminuta fuerit, ita ut pars remanens calicem et hostiam cum patena commode amplius continere nequeat; Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 1 et 3: si vero ille lapis modice tantum contractus aut minutus fuisset, v. g., si cornua solummodo essent contracta, altare non esset exsecratum, nec denuo consecrandum; Decretal. ibid., cap. 6. In dubio autem res committenda est iudicio episcopi.

2° Quando prædictus lapis seu mensa superior consecrata movetur a basi cui erat immobiliter affixa, altare denuo consecrandum est, ut expresse habetur in Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 1 et 3, et confirmatur per S. Cong. Rit., die 15 maii 1819 (*Gardell. t. VI, p. 123 et 124*). At si tabula superior structuræ inferiori immobiliter affixa non esset, sed de loco ad locum una cum sepulcro commode transferri posset, suam hac translatione non amitteret consecrationem, quia non fixum, sed mobile esset altare; *Ferraris, n. 24*.

3° Altare portatile non exsecratur per motum vel separationem a lignis aut cæmentis quibus circumdatur, cum eo fine consecratum fuerit ut moveatur, neque per modicam fractionem, dum idem moraliter remanet. Contra vero exsecratur si anguli in quibus ponitur chrisma notabiliter minuuntur, aut ipsum ita frangatur ut pars remanens calicem et hostiam cum patena commode continere non possit. Ita generaliter theologi et canonistæ; *Ferraris, v° Altare, n. 30*. Probabilius videtur amissionem unius crucis, modo pars remanens late sufficiat ad continendum calicem et patenam, exsecrationem altaris non inducere.

4° Altare, sive mobile sive immobile, ut exsecratum haberi debet, si fractum fuerit sepulcrum aut amota reliquiæ; quia licet plures contenderint reliquias ad essentialiam consecrationis non pertinere, consuetudo Ecclesiæ est altaria sine reliquiis non consecrare, et, fracto vel amoto sepulcro, iterum consecrare. Ita tenent *Sylvius*

Pontas, Habert, Layman, Tournely, Ferraris, S. Ligorius. In confirmationem hujus sententiæ plura citantur decreta S. Congr. Rit., nempe 5 martii 1603 et 5 martii 1623, in quibus expresse dicitur: « Altare portatile » tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel » loco movetur repositorium reliquiarum. Celebrari » non potest super altare a quo furtim, non amota vel » fracta mensa, subtractæ fuerint reliquiæ a militibus, » nisi altare de novo consecretur; » *S. Ligorius*, l. 6, n. 369.

Non sufficeret ergo reliquias, et ipsas e sepulcro extractas reponere et obsignare, quidquid in contrarium, ex errore, dicant *Collet* et *Rit. Bellic.* t. 1, n. 1000.

5° Plures tamen, ut *Sporer* et *Tournely* apud *S. Ligorium*, qui eis consentire videtur, dicunt quod, urgente necessitate, in altari reliquiis carente celebrare liceat.

6° Ex decretis S. Congr. Rit. 10 nov. 1599, 2 junii 1629 et 13 junii 1635: « Si sub altari vel sub ejus gradibus » humata sint defunctorum cadavera, non est illic celebranda Missa, donec alio transferantur. » Excipitur tamen, apud *S. Ligorium*, si cadavera sint profunde inhumata, in aliqua cella sub fornice constructa; quia cadavera videntur sufficienter ab altari separata, ut verba, *quorum reliquie hic sunt*, in ea non cadant. Vide *Ferraris*, 7° *Altare*, n. 48.

7° Lapides altaris exsecrati, ipsamet mensa quæ fuerat consecrata, licite vendi et ab emptore retineri possunt, dummodo tamen in loco decenti et honesto collocentur. S. Congr. 9 maii 1606.

8° Polluta vel violata ecclesia, eo ipso polluitur altare in ea fixum; quia pollutio totam afficit ecclesiam, ac proinde altare ei immobiliter adhærens: verum exsecratio ecclesiæ non importat exsecrationem altaris et a fortiori, exsecratio altaris non facit ut ecclesia sit exsecrata; Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 1. Ratio est quia consecratio ecclesiæ et consecratio altaris sunt duæ actiones distinctæ, ab invicem separabiles, una fit in parietibus templi, et altera in mensa altaris.

Altaria portatilia non exsecrantur, nec polluuntur per exsecrationem vel pollutionem ecclesiæ, quia ab illa sunt omnino distincta.

9° Altare ab episcopo consecratum, vel in ecclesia consecrata erectum, absque licentia episcopi destrui non potest; non potuit enim absque illius licentia erigi, ex can. 25, dist. 1 tertiæ partis Decreti: ergo nec destrui potest, quia unum aliud importare videtur. Altaria non consecrata et in ecclesiis non consecratis a simplicibus presbyteris erigi et destrui possunt, seclusa episcopi prohibitione, ut communiter sentiunt canonistæ et fert praxis. Non benedicuntur, quia sola petra consecrata est proprie loquendo altare; id est, altare portatile: cætera sunt ejus ornamenta.

10° « In altari in quo episcopus Missam cantavit, presbyter eodem die Missam celebrare non præsumat. » Propria sunt verba can. 97, dist. 2 tertiæ partis Decreti; sicque, ex glossa, statutum fuit propter reverentiam debitam episcopo, qui igitur licentiam super altari prædicto celebrandi concedere potest. Plurimi volunt hanc juris dispositionem vel nunquam obtinuisse, vel contraria consuetudine desiisse. Verum *Bened. XIV, Const. In postremo*, 10 octob. 1756, § 9, asserit hoc communi sententiæ adversari, et in bene constitutis diocesisibus privilegium episcopale religiose custodiri. Attestatur insuper in « altaria pontificia intra patriarchales urbis » basilicas non posse quemquam celebrare Missam, nisi » id ipsi fuerit a Romano pontifice per Apostolicum » breve indultum: » et idem observandum respectu altarium a summo Pontifice consecratorum, ad certas ecclesias missorum, atque papalium honoris causa declaratorum.

§ III. — De ornamentis altaris.

Præcipua ornamenta quæ requiruntur sunt mappæ, crux et lumina.

Mappæ. Vetustissimus est usus altare linteaminibus cooperire. « Quis fidelium nescit, inquit S. Optatus Mi-

» levitanus, l. 6, in peragendis mysteriis ipsa ligna lin-
» teamine operiri? Inter ipsa sacramenta velamen potuit
» tangi, non lignum; » id est altare, quia tunc in Africa
altaria erant lignea. Refertur quemdam Proculum, ab
impio Genserico adversus catholicos missum, e linteis
altaris subuculas et femoralia sibi fecisse. In Decreto,
tertia parte, dist. 2, can. 27, statuitur quod si per ne-
gligentiam aliquid de sanguine Christi super altare
ceciderit, et usque ad quartum linteamen pervenerit,
celebrantem viginti diebus peniteat. Supponitur ergo
tria esse linteamina, præter corporale.

Rubrica Missalis Romani præscribit tres esse mappas
vel tobaleas mundas, ab episcopo vel ab alio potestatem
habente benedictas, superiorem saltem oblongam usque
ad terram pertingentem, quod hodie non est in usu, in-
quit S. Ligorius, l. 6, n. 375, et duas alias breviores, vel
unam duplicatam quæ mensam altaris bis cooperiat, ita
ut sub corporali tria sint linteamina munda, independen-
ter a linteamine crasso quo nonnunquam petra sacra
involvitur. Illud namque involucre, sæpe squalidum,
haberi non potest ut mappa.

Mappæ dicuntur in jure *lineæ* vel *lin-teamina*: hinc
recte concluditur eas ex puro lino conficiendas esse. Sed
probabilius communissime tenent auctores eas ex can-
nabe confectas sufficere. Non admittitur pannum quan-
tumvis album sive ex lana, sive ex serico, saltem pro cor-
porali, ut patet ex Decreto, 3 part., dist. 1, can. 46: «Sta-
» tuimus ut sacrificium altaris non in serico panno aut
» tincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo
» ab episcopo consecrato. » Xylinum (*le coton*), decreto
S. Cong. Rit. diei 15 maii 1809, diei 28 ejusdem mensis
et anni, approbato a Pio VII, omnino prohibetur pro
lin-teaminibus ad divinum sacrificium destinatis. Permit-
tit tamen S. Cong. ut amictus, alba et mappæ ex xyli-
no confecta inserviant, sed vetat ne alia conficiantur nisi ex
lino aut cannabe.

Ut probabile docetur apud S. Ligorium, qui huic sen-
tentia adhæret, uti mappis non benedictis culpam venia-

lem non excedere, et in necessitate etiam non gravi
mappa communi, ad usus communes postea reddenda,
uti licere.

Celebrare cum una aut duabus tantum mappis sine ne-
cessitate, peccatum esset saltem veniale, quia notabilis
foret infractio Rubricæ a Clemente VIII præscriptæ; sine
ulla mappa et extra necessitatem, peccatum haberetur ut
certo mortale: sic autem in gravi necessitate agere, pu-
ta, ad dandum viaticum moribundo, vel ne populus die
festivo Missa careat, communis opinio tenet nullum fore
peccatum.

Pars anterior altaris, nisi sit marmorea, vel aliter or-
nata, paramento, vulgo *devant d'autel*, coloris diei conve-
nientis decorari debet, ut expresse docet *Gavantus*, part. 1,
tit. 20.

Crux. Bened. XIV arbitratur, de Missæ sacrif. l. 1,
cap. 3, a traditione Apostolica derivatum esse ut quis
sine cruce in altari posita Missam non celebraret. Com-
munius tamen tenetur hunc usum in primis sæculis non
exstitisse, vel universalem non fuisse, et ideo nunc
adhuc in pluribus ecclesiis celebrantem ad altare progre-
dientem, parvam deferre crucem in altari collocandam.
Carthusiani et Dominicani ad cornu epistolæ dicunt
Kyrie, eleison, Gloria in excelsis, et populum salutant;
quia olim, cum in medio altaris crux non existeret, nulla
erat ratio cur sacerdos huc ad populum salutandum re-
diret.

Cum Rubrica simpliciter dicat, *super altare collocetur
crux in medio*, Rubr. gen. tit. 20, n. 1, et de imagine
Christi in cruce affixi sileat, plures crediderunt nudam
crucem illius dispositioni sufficere. Sic *Merati*. Alii vero
longe communius requirunt, saltem sub veniali, cru-
cem cum imagine crucifixi. Verum Bened. XIV in Const.
Accepimus, 16 junii 1746, dicit: « Illud permittere nul-
» latenus possumus, quod Missæ sacrificium in his alta-
» ribus celebretur quæ careant imagine crucifixi, vel
» ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebra-
» tem, vel ita tenuis et exigua sit ut ipsius sacerdotis et

» populi assistentis oculos pene effugiat. » Declarat id alienum esse a legibus Ecclesiæ, sacræ antiquitati et ecclesiarum etiam Orientalium consuetudini maxime contrarium. Deinde refert Rubricam Missalis, Pontificalis Romani, Cæremonialis episc. et ritus ecclesiarum Orientalium.

« In altari in quo adest magna statua sanctissimi crucifixi, non est necesse ut ponatur alia crux, dum celebratur Missa. » Sunt verba S. Congr. Rit. 16 junii 1663, in indice *Merati*, n. 400. Communius tenent auctores hanc decisionem valere, sive imago Christi crucifixi sit cælata, sive picta, modo non sit exigua, et ante celebrantem commode statuatur.

Ex eodem autem S. Congr. decreto, crux parva, cum imagine crucifixi, posita super tabernaculum in quo asservatur inclusum sanctissimum Sacramentum, non est sufficiens in Missa; sed alia ponenda est crux in medio candelabrorum: si vero crux in tabernaculo posita eminent esset, alia non requireretur.

S. Congr. Rit. die 14 maii 1707 definierat crucem cum imagine crucifixi ponendam esse in altari, ubi sanctissimum Sacramentum venerationi fidelium exponitur, ut ibi celebraretur Missa. Sed eadem Congregatio, re de novo perpensa, decrevit, die 1 sept. 1740, ut quælibet ecclesia morem quem antea servabat, in posterum retineret. Bened. XIV, in Constitutione citata.

Sacerdos qui, absque necessitate, celebrat sine cruce, a peccato saltem veniali excusari non potest, *ut patet ex dictis*. Verum *Suarez, Layman, Bonacina, Tournely, Merati*, aliique communissime docent peccatum esse duntaxat veniale, et nullum, si rationabilis adsit causa.

Cruces altarium seu processionum non sunt de præcepto benedicendæ; Congr. Rit. 12 julii 1704, in indice *Merati*, n. 584. Potest simplex sacerdos eas benedicere privatim, non vero solemniter, ut fert idem decretum.

Similiter et imagines quæ in templis adhibentur, benedici possunt, idque congruum est, non præceptum, inquirunt *Merati* et *S. Ligorius, Pignatellum* citantes.

Attamen hujusmodi crucifixi et imaginum benedictio inter benedictiones episcopales in Rituali Romano collocatur.

Lumina. Usus luminum inter sacra peragenda est antiquissimus: existebat quippe in veteri Lege, ut patet ex descriptione lucernarum accensarum et candelabri aurei pretiosissimi in cap. xxv Exodi facta; a Judæis ad Christianos transiit. Primum sæpe necessariæ erant lucernæ, quia sacra mysteria, ob metum persecutorum, in cryptis celebrari solebant: sed propter alios fines eas fuisse adhibitas testatur S. Hieronymus adversus Vigilantium, 2 part., dicens: « Per totas Orientis ecclesias, quando » legendum est evangelium, accenduntur luminaria, » jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, » sed ad signum lætitiæ demonstrandum. » Multa alia citari possent testimonia ex quibus aperte deducitur cæcutire Protestantes, quando affirmare audent non nisi ob necessitatem adhibita fuisse luminaria, in tribus primis sæculis, ad sanctissima mysteria celebranda.

Hæc autem luminaria primitus in altari non erant posita, sed in variis ecclesiæ partibus, et præsertim ante altare, modo in forma stellæ coruscantis, modo velut circulus zonam firmamenti repræsentans, modo in machina ferrea quæ dicebatur hersia, modo in candelabris, tres, quinque, septem, etc., habentibus calamos et super pavimento locatis. Serius habita sunt candelabra lignea, cuprea, argentea, aurea vel deaurata, saltem duo, vel quatuor aut sex, et sæpe numerosiora, hinc et inde in altari posita, cera vel oleo munita, quæ in majori vel minori numero accenduntur, juxta gradum solemnitatis. Mos invaluit ut sola admitteretur cera: igitur acolythi luminaria deferentes ceroferarii vocantur.

Rubrica Missalis præscribit, parte 1, tit. 20, *ut candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere collocentur*: ab illa recedere non licet.

Omnes fatentur celebrare sine ullo lumine, etiam ad dandum viaticum moribundo, peccatum esse mortale; quia in Decretal. l. 3, tit. 41, cap. ultimo, graviter incul-

patur sacerdos qui *sine igne*, id est sine lumine, sacrificat.

Unde si ante consecrationem deficiat lumen, omnino desistendum est a celebrando : secus, si post consecrationem. Ita *S. Ligorius* et plures apud ipsum, l. 6, n. 394. Si candelæ intra breve tempus reaccendi possint, expectandum est donec accendantur, et pergendum erit.

Cum ex mandato *S. Pii V.*, evangelium *S. Joannis* nunc ad integritatem Missæ pertineat, illud extinctis luminibus recitare non licet : curandum est igitur ne ministri cereos ante finem hujus evangelii extinguant; et nihilominus sacerdos turbari non debet si, dum illud evangelium recitat, minister cereos extinguit.

Rubrica Missalis exigit ut, præter duo luminaria omnino requisita, ad *Sanctus* tertium pro elevatione in honorem sanctissimi Sacramenti accendatur. Hæc tamen rubrica non videtur obligare, et usus contrarius generaliter invaluit. In Missis solemniter deferenda sunt interstitia accensa.

In altari ubi expositum est *SS. Sacramentum*, sex ad minus candelæ cereæ ardere debent, ex *S. R. C.*, 15 martii 1698.

Ut probabilius docet *S. Ligorius* cum multis aliis, in casu necessitatis, non vero propter solam devotionem, licitum esse cum candelis ex sebo vel ex oleo celebrare : secus, mortale esse peccatum, quia esset derogatio universali Ecclesiæ consuetudini et in re gravi.

Unicum adhibere lumen cereum probabiliter veniale esset peccatum, secluso scandalo; et nullum, si rationalis causa celebrare suaderet, v. g., circumstantia aliqujûs festi, et abesset scandalum.

Cardinales et episcopi jus habent celebrandi cum quatuor candelis. Item abbates in ipso pontificalium usu, id vero aliis non permittitur, nec etiam vicariis generalibus, nisi solemnitas officii postulet; Decretum Congr. Rit. 7 augusti 1627.

Candelabra et ipsæ candelæ nulla indigent benedictione, ut expresse advertit *S. Ligorius*, l. 6, n. 395, quia

requiruntur tantum ad decentiam, et ita fert usus ubique receptus.

Tabulæ secretarum, vulgo *les cartons d'autels*, non sunt de præcepto.

Mundities altarium. Altaria in quibus divinum celebratur sacrificium, nitida semper esse debent : igitur scopis undequaque reverenter mundanda sunt, et mappæ sat frequenter mutandæ ut nunquam appareant sordidæ. Ut a pulvere, cera aliave qualibet sorde custodiantur mundæ, finitis Missis, contegendæ sunt panno viridi, aut aliis stragulis ad mensuram altarium factis.

Si fides auctori *Prati spiritualis*, in initio septimi sæculi scripti (*Fleury*, l. 37, n. 19), adhibeatur, singula altaria consecrata Angelum Custodem habent, sicut singulæ ecclesiæ Deo dicatæ : hæc consideratio novum subministrat motivum ea servandi munda, et non permittendi ut aliquid indecens, profanum, ad cultum divinum non attinens, in illis deponatur.

Floribus veris et fictis, pro temporum varietate, ornari decet altaria; sed vas florum aut quid simile ante ostium tabernaculi in quo depicta est imago Domini nostri Jesu Christi non est collocandum, ut declaravit *S. Cong. Rit.* 22 januarii 1701, nec etiam super tabernaculum, quia debet esse *ab omni re vacuum*, juxta Pontificale romanum.

Nihil obstat quominus statuæ aut imagines sanctorum et capsæ reliquiarum in gradibus altaris, *SS. Sacramento* non exposito, collocentur, non autem supra tabernaculum in quo asservatur *S. Eucharistia*.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE VASIS SACRIS ET OBJECTIS AD EA ATTINENTIBUS.

Vasa sacra sunt calix, patena, ciborium et ostensorium; objecta ad vasa sacra attinentia sunt corporale, palla et purificatorium. De singulis, quantum potuerimus, breviter dicturi sumus.

§ 1. — Calix et patena.

1° Constat Christum in ultima cœna calicem adhibuisse et extra omne dubium est illius usum in oblatione divini sacrificii Eucharistiæ semper exstitisse. In primis temporibus calices sæpe fuerunt lignei, vitrei, lapidei, stannei, ut ostendunt *Grancolas, Bened. XIV*, de Missæ sacrif. l. 1, cap. 4, etc. Non raro tamen erant argentei, aurei et etiam gemmis ac picturis ornati, ut patet testimoniis *Tertull.*, lib. de Pudicitia, cap. 7 et 10, *S. Chrysost.*, etc.

2° Sed a multis sæculis obsolevit usus calicum ligneorum, propter porositatem; vitreorum vel ex crystallo, propter fragilitatem; ex cupro, ære vel aurichalco, propter æruginem: et in Decreto, parte 3, dist. 1, can. 45, præcipitur « ut calix Domini, cum patena, si non ex auro, » omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, » saltem et stanneum calicem habeat. » Nunc apud nos calices stannei stricte prohibentur, et ab omnibus ecclesiis exigitur ut habeant calicem cujus saltem cuppa sit ex argento interius auro linita. Permittuntur calices ex gemma quæ sæpe pretiosior est quam aurum.

3° Cum olim in multis ecclesiis magna vini quantitas consecranda esset, ut omnes sub ea specie communicare possent, vel plures in altari ponebantur calices, vel unus, sed amplus et ansatus, ut facilius moveri et deferri posset. *Anastasius Bibliothecarius*, in Vita Leonis III, memorat calicem quinquaginta et octo librarum, et in Vita Gregorii III, alterum ponderis triginta et quatuor librarum.

Patena, sic dicta quia quod in ea est patet et non est oclusum sicut vinum in calice, olim tantæ erat amplitudinis ut species pro tota multitudine consecrandas contineret: nunc modicus est discus, saltem argenteus, et auro in concava superficie bene linitus. In casu necessitatis episcopus permittere posset usum calicis et patenæ ex stanno.

4° Necessè est ut calix et patena ab episcopo cum sancto chrismate consecrentur, juxta formam in Pontificali Ro-

mano statutam: ita omnes, universali consuetudine, argumentis ex jure canonico deductis et pluribus S. Congr. Rit. decretis innixi. Hæc autem consecratio ad ordinem episcopalem pertinet: unde quilibet episcopus hæc vasa semper valide consecrat, etiam quando ea consecrando peccat.

5° Abbates tamen aliique prælati usum Pontificalium habentes, calices et patenas ex privilegio consecrare possunt pro suis duntaxat ecclesiis cum sacro chrismate ab episcopo diocesano accepto: *Ferraris*, v° *Calix*, n. 5.

6° Cum illa calicum et patenarum consecratio sit tantum institutionis ecclesiasticæ, facultas eam faciendi a summo Pontifice simplicibus presbyteris procul dubio committi potest, et reipsa non semel commissa est, sicut facultas altaria portatilia consecrandi.

7° Qui Missam sine calice apto et consecrato celebraret, mortaliter peccaret, quia praxi Ecclesiæ in materia gravi adversaretur. Plures contenderunt calicem ad sacrificium idoneum solo contactu specierum sacrarum consecrari: unde calix quo sacerdos ex bona vel mala fide ad celebrandam Missam usus fuisset, alia consecratione non indigeret. Verum alii longe communius et probabilius negant: falsum quippe est sacras species per solum contactum rem aliquam consecrare, alioquin cadentes in pavimentum, illud consecrarent: aliunde, ut consecratio sit valida, requiritur ut impleantur conditiones ab Ecclesia determinatæ, videlicet preces, unctiones, etc. Ergo.

8° Calix et patena suam amittunt consecrationem per fractionem; si nempe patena ita sit fracta ut hostiam decenter continere nequeat, et si cuppa calicis a pede per fracturam sit separata, ita ut ad usum propter quem fuit consecratus non remaneat idoneus. Quando vero pes a cuppa sine fractione separatur, ut in calice tornatili, consecratio non amittitur. Si in fundo fiat foramen quantumvis exiguum, est exsecratus.

9° Calix et patena suam inaurationem per usum diuturnum amittentes, non ideo consecrationem suam perdunt, quia hæc objecta secundum se fuerunt consecrata et eadem sunt moraliter. Ita commississime doctores.

10° At cum in nova inauratione addatur aurum non consecratum, corpus et sanguinem Christi immediate tacturum, quod excellentior est pars calicis aut patenæ, multi contendunt nova consecratione opus esse: hanc sententiam fortiter tuetur *Ferraris* cum *Suarez*, *Vasquez*, *Barbosa* et plurimis aliis. *S. Ligorius*, l. 6, n. 370, dub. 2, in fine, qui oppositam admiserat opinionem ut probabiliorem, declarat se, re melius perpensa, judicare calicem post inaurationem denuo consecrandum esse, et affert rationem superius expositam. *Romsée* inaurationem calicis dealbationi ecclesiæ comparat, sed immerito, ut nobis videtur; dealbatio enim murorum consecratorum a nemine habetur ut pars excellentior, secus vero inauratio calicis aut patenæ. S. Rit. Cong., die 14 junii 1845, ad episc. Leodiensem respondens, ait: « Calix et patena » suam amittunt consecrationem per novam deaurationem, et sic indigent nova consecratione. »

Ex decisione S. R. C. 22 aprilis 1822, non sunt execranda antequam tradantur artificii.

11° Qui ob solam paupertatem utitur calice non inaurato, ab omni peccato excusatur, seclusa speciali episcopi prohibitione; imo in eo casu licet uti calice stanneo non inaurato, vel æneo aut cupreo bene aurato, ita ut ærgo non timenda sit: at, extra magnam paupertatem, peccatum esset saltem veniale, ut docent *de Lugo*, *Tournely*, *S. Ligorius*, etc. Utendo calice argenteo olim inaurato, sed cujus inauratio omnino aut fere omnino deleta est, non ita facile graviter peccatur ac si calix nunquam fuisset inauratus, quia non tanta est irreverentia.

12° Soli presbyteri et diaconi, in gratia sanctificante constituti, vasa sacra eucharisticas species continentia licite tangere possunt: cæteri vero, ut communiter docent auctores, mortaliter peccarent ea tangendo; Decr. part. 1, dist. 23. can. 26, 30, 31 et 32. Vide *Ferraris*, v° *Vasa*, n. 8; *S. Ligorius*, l. 6, n. 382. Similiter presbyteri et diaconi peccati mortalis rei qui absque reconciliatione cum Deo vasa sacra divinam Eucharistiam continentia tangerent, a novo peccato et probabiliter mortali excusari

non possent; gravis enim esset indecentia erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum.

Subdiaconi, vi suæ ordinationis et acolythi ministrantes, ex can. 32, dist. 23 1^æ partis Decreti, vasa sacra vacua tangere possunt. Sic *Ferraris*, *S. Ligorius*, *Bened. XIV*, Inst. 29, n. 18, cum ea differentia quod subdiaconi ea ubique, etiam in altari functiones sui ordinis solemniter exercentes, et acolythi solum in sacristia, quando ea quæ ad Missam necessaria sunt præparare debent. « Tandem diuturna consuetudine factum est, inquit *Bened. XIV*, *ibid.*, ut ordinati omnes, et qui sola tonsura præditi sunt, si aliqua causa intercedat, sacra vasa dum vacua sunt, extra altaris ministerium contingant. »

13° Laici et feminæ etiam moniales, absque necessitate aut rationabili causa, vasa sacra vacua manu nuda tangentes, secluso contemptu et scandalo, venialiter tantum peccant: peccant quidem, saltem probabilius, quidquid nonnulli dicant, quia universali Ecclesiæ consuetudini adversantur, sed venialiter tantum, ut volunt *Suarez*, *Layman*, *La Croix*, *Ferraris*, *S. Ligorius* et generaliter alii.

14° Cum autem non solum necessitas, sed rationabilis causa a veniali, ubi de infractione legis positivæ agitur, excuset, communiter infertur calices, patenas, corporalia, et purificatoria tangere posse: 1° religiosos laicos ad servitium Missarum et sacristiæ deputatos; 2° moniales sacristinas; 3° sorores Charitatis in parochiis ruralibus, ad hæc objecta sacra lavanda, mundanda, etc., quando parochus, vicarius aut aliquis in sacris Ordinibus constitutus id facere non potest; 4° quemlibet sacristam ad corporale aliudve objectum sacrum accersendum, in casu urgenti, si illud mediante corpore non consecrato afferre nequeat, etc. Convenientius est tamen, ob majorem reverentiam erga res sacras, licentiam ab episcopo aut vicario ejus generali obtinere; et talis est usus communis.

15° Qui mortali peccato inquinati vasa sacra vacua tangunt, irreverentiæ fiunt rei, et sub hoc respectu, secluso contemptu, venialiter peccant.

16° Vasa sacra ad usus profanos convertere vel adhibere, v. g., calicem ad bibendum in mensa, corporale vel purificatorium ad nares purgandos, etc., mortale est peccatum, quia gravis est irreverentia ac contemptus, ipso jure naturali et pluribus juris ecclesiastici capitibus prohibitus. Imo laicus hoc faciens excommunicatur, et ecclesiasticus deponitur; *Ferraris*, v° *Vasa sacra*, n. 16.

Attamen, urgente necessitate, calices, patenæ, ciboria aliaque vasa sacra vendi possunt: si personis ecclesiasticis vel aurificibus et ad usum ecclesiarum vendantur, tradi possunt integra; si ad usus profanos, prius frangenda sunt, ne sancta ab aliis quam a ministris Ecclesiæ tractentur.

§ II. — Ciborium et ostensorium.

1° Ciborium, sic dictum a spirituali cibo quem continet, dicitur etiam turris, propter formam rotundam, et frequentius pyxis, gallice *boîte*. Propter reverentiam Sacramento debitam debet esse mundum, aureum vel argenteum intus deauratum, proprio operculo parvam crucem in summitate habente coopertum, et insuper pallio pretioso apte elaborato involutum. Sic apud nos præscribitur in statutis synodalibus anni 1851.

2° Nulla tamen lege generali præcipitur ut ciborium ejusdem sit materiæ ac calix et patena, nec ut intus deauretur: attendenda et sequenda sunt igitur statuta uniuscujusque diocesis. Si vas istud ex inferiori materia conficiatur et intus non deauretur, in illo ponendum est vas lineum corporali simile: sed amyllum quo liniendum est illud linteum, quædam generare solet animalia, ut notat *Gavantus*. Curare ergo debent episcopi aliique superiores ecclesiastici ut, quantum fieri potest, ciboria semper sint argentea intus bene deaurata, ad particulas facile dignoscendas.

Venerabilis *Boudon*, archidiaconus Ebroidensis, ciboria cum operculo eis commissura annexo excogitaverat, ut particulae ex hostiis, dum communicatio distribuitur, decedentes, in ipsum caderent operculum et non perirent:

at experientia constat eas in cælaturas vel commissuras cadere et difficile colligi posse: multo magis expedit ut operculum omnino removeatur et communicatio non detur quin adhibeatur patena particulas decedentes susceptura.

3° Præter ciboria ad continendam et asservendam sacram Eucharistiam destinata, aliud parvum habendum est vas ejusdem materiæ, formæ et decentiæ, ut divinum Sacramentum ad ægrotos deferatur.

4° Lunula in qua continetur formula consecrata ut sanctissimum exponatur Sacramentum, debet esse argentea et deaurata, sicut ciboria, et non aliter.

5° Hæc vasa cum oleo sancto non consecrantur, sed ab eo qui habet facultatem ornamenta sacerdotalia benedicendi, benedici possunt. Plurimi graves auctores arbitrantur hanc benedictionem non esse de præcepto; alii vero probabilius docent eam esse præceptam, sed tantum sub veniali. Vide *S. Ligorium*, l. 6, n. 385. Lunula ad expositionem SS. Sacramenti destinata benedicatur, sed nullum est præceptum benedicendi ostensorium, quod tamen laudabiliter, inquit *Romsée*, benedici potest ea formula qua benedicatur ciborium.

6° Omnes tangere possunt illa vasa etiam benedicta quamdiu non servierunt; sed postquam servierunt, non magis ea tangere licet quam calices et patenas, excepto ostensorio, quando lunula ab eo separatur; non enim habetur ut vas sacrum.

Quælibet vasa sacra species continentia nullibi reponi debent nisi super corporale, ut fert consuetudo ubique recepta: secus quando sunt vacua.

Vasa autem oleorum sanctorum, capsæ reliquiarum, etiam SS. crucis, corporale non requirunt.

7° Tabernaculum, de quo supra locuti sumus, specialiter etiam benedicatur, et benedictio ejus inter benedictiones episcopales in Rituali Romano inscribitur.

8° In eo collocari non possunt reliquiæ sanctorum aut venerabilis Crucis, nec ostensorium aut ciboria vacua, sed ea duntaxat vasa in quibus sanctissimum actualiter existit Sacramentum. Sic Rituale Romanum.

9° Mandat præterea ut claves tabernaculi nulli unquam laico credantur, nec in sacristia relinquuntur, sed solus parochus vel alius sacerdos de illius licentia curam earum habeat, « nec unquam permittat ab ullo, qui non » est saltem subdiaconus, claudi et aperiri dictum tabernaculum. »

§ III. — Corporalia, palla et purificatoria.

1° Corporale, ita dictum quia corpus Christi involvit, primitus vocabatur palla, *manteau*, quia totam mensam altaris tegebat, ut in Ordine Romano VI, n. 7, expresse narratur, et quando cooperiendus erat calix, super illum plicabatur. Cum enim in primis sæculis magna specierum panis et vini quantitas consecranda erat, oportebat ut amplum esset corporale; decrescente autem hac quantitate, imminutum est corporale, et tandem reductum fuit ad eam quam nunc habet formam.

2° At sic contractum calicem cooperire non poterat: tunc versus decimum tertium sæculum cœpta est haberi palla a corporali separata, qua cooperitur calix. Non tamen censetur quid a corporali distinctum, et eadem benedictionis forma sanctificatur.

3° Corporale « ex puro lino contextum esse debet, in » quit Ordo Romanus citatus, quia sindone munda corpus Christi legitur involutum in sepulcro. » Potest etiam esse ex cannabe, ut asserit *S. Ligorius* cum pluribus aliis, non vero ex serico aliove panno, saltem quoad mediam partem, qua hostiam vel calicem tangit; nam in extremitatibus potest esse sericum vel auro elaboratum; decret. S. R. Cong. diei 15 maii anni 1819.

4° Quod dicimus de materia corporalis, dicendum est pariter de palla, saltem de parte quæ calicem immediate tangit: nam, juxta multos et usum apud nos receptum, in parte superiori auro vel serico constare potest. Citatur tamen decretum S. Cong. Rit. 22 januarii 1706, in quo dictum est: « In sacrificio Missæ non adhibenda » est palla a parte superiori drappo serico cooperta. » Unde in Italia aliæ communiter non videntur pallæ

nisi ex mundissima tela duplicata, amylo sicut corporale limitata, et ope chartæ insertæ solidata. S. Cong. hac de re denuo consulta an liceat uti palla a parte superiori panno serico cooperta, respondit die 10 januarii 1852, » permitti posse, dummodo palla lino subsuta calicem » cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris aut » referat aliqua mortis signa. »

Suarez, Tournely, S. Ligorius et alii dicunt celebrare sine corporali et palla, aut cum eis non benedictis, mortale esse peccatum, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi. Minor tamen requireretur necessitas ad celebrandum sine palla benedicta quam sine corporali, quia palla sacras species immediate non tangit. Unde plures apud *S. Ligorium* dicunt quod si palla desit, aut per quadrantem exspectari debeat, loco ejus adhiberi possit aliud corporale, aut purificatorium, aut bursa.

5° Mos olim in pluribus ecclesiis exstitit, a *S. Cajetano* et *Paulo IV* summo pontifice in decimo sexto sæculo inductus, duplicem adhibendi pallam, unam ad cooperiendum calicem, et alteram super qua collocaretur hostia ante et post consecrationem, donec supponeretur patena, juxta rubricas. Hic usus adhuc viget apud Theatinos a *Paulo IV* institutos, ex privilegio a *Clemente VII* concessio.

Merati et alii non pauci, contra alios, censent unumquemque sacerdotem posse hanc observantiam sequi, et refertur card. *Baronium* id alicui ad praxim suasisse.

6° Studiose et magna vigilantia curandum est ut corporalia sint nitida et munda: a gravi culpa excusari non potest sacerdos qui, ex negligentia, ad divinum Sacrificium utitur corporali aut palla sordidis, quæ in mensa communi posita quemdam horrorem excitarent. Item invigilandum est ne corporalia ullum etiam minimum habeant foramen circa medium et partes in quas imponitur hostia. Corporale ita laceratum ut non remaneat pars ad divinum Sacrificium apta, eo ipso suam amittit benedictionem.

7° Purificatorium, sic vocatum quia ad tergendum